

# V I T A SANCTI LIBERII III.

CAPUT UNICUM.

*Sancti Liberii Pastoralis cura. Valentiniani mors asserta; Pontificis sepulcrum.*

## DE SANCTO LIBERIO.

**L**iberius XV. Vir Sanctus, pulcher fuit in forma, clarior in sensu. *Latifluam* (1) habuit eloquentiam, fuit enim verus Dei cultor, Paganorum in bonis seductor, Idolorum destructor, sub cujus temporibus cepit pars Paganorum minuere, & Sancta Ecclesia ex Christiano Populo populari. Cujus tantamansuetudo fuit, ut non Dominus à suis Sacerdotibus vocaretur, sed quasi unus ex ipsis confacerdotibus cognominaretur. Solummodo inter eos Pontificalis tituli folio præcedebat. Exhortabatur ille quotidie erubescens poenitentiam, ut cum fiducia deberent accedere.

**A** Istius denique temporibus occisus est Valentinianus Augustus Major extra Portam Armetoris non longè ad stadium tabulæ prope Campum Corianthri, & seditio maxima in Populo fuit, & multi vulnerati in loco, qui dicitur puteus benedictus, missusque extra. Ravennæ mœnia Augustus, interfectorum manibus finivit vitam. Sepultus est in Monasterio Sancti Pullionis, (2) quod suis temporibus ædificatum est, non longè à Porta, quæ vocatur nova, cujus sepulcrum nobis cognitum est. Sedit autem prædictus Antistes annos . . . mens . . . . . dies . . . . .

# V I T A SANCTI URSI.

CAPUT UNICUM.

*Ecclesiæ Ursianæ constructio. Sancti Ursi obitus, sepulcrum, imago.*

## DE SANCTO URSO.

**U**rsus XVI. castissimus corpore, sanctissimus in opere, tensam, & pulcram habuit faciem, modicè calvus fuit. Ille primus hic initiavit Templum construere Dei, ut plebes Christianorum, quæ in singulis tuguriis vagabant in unum ovile piissimus colligeret Pastor. Nunquam suam Ecclesiam polluit, nec Spiritum Sanctum vendidit, nec de impositionis manu aliqua asserendo munera suam dexteram porrexit. Igitur ædificavit iste Beatissimus Præsul infra Civitatem Ravennam Sanctam Catholicam Ecclesiam, quo omnes assiduè concurrimus, quam de suo nomine Ursianam nominavit. Ipse eam suis temporibus fundavit, & Deo juvante, usque ad effectum perduxit. Lapidibus pretiosissimis parietibus circumdedit, super totius Templi testudinem tessellis variis diversas figuras composuit. Omnis autem populus, quasi vir unus spontaneus animus laborabat lætus, & gaudens, & de Cælis Deum cumlaudabat, qui (3) prosperabatur salus in manibus eorum per intercessionem sui Sacerdotis, & Confessoris. Qui *Cuferius* (4), & Paulus unam parietem exornaverunt parte mulierum juxta *Altare* (5) Sanctæ Anastasiæ, quod fecit Agatho. Ipta est paries, ubi columnæ sunt positæ in ordinem usque ad numerum de *positis* (6) majorem. Aliam verò parietem parte virorum comptitaverunt *Janus* (7), & *Stetom.* II.

**B** phanus usque ad prædictam januam, & hinc atque illinc gypsis metallis diversa hominum animaliumque, & quadrupedum ænigmata inciserunt, & valde optimè composuerunt. Sita est jam dicta Ecclesia in regione Herculana. Ideo Herculana dicitur, quia ab Hercule consecrata fuit non longè à Posterula Vinceleonis. eò quòd Vincilius ipsam ædificavit. Habitabat autem Sanctissimus Vir infra Episcopium, qui est positus juxta fossam amnis, quæ egreditur de loco, quæ vocatur Organaria, emanans sub ponte Pistorum; mira magnitudine, & tota ædificali *machina* (8) constructa, ubi nunc destructum stabulum esse videtur. Post hæc verò omnia consummata, & ædificia pleniter constructa, infirmitatem modicam sensit corporis, & quasi eructans reddidit spiritum Idus Aprilis. In tali pace, & tranquillitate vitam finivit in die sancto Resurrectionis; & in tali verò die ab eo dedicata est ipsa Ecclesia, & vocata ANASTASIS. Sepultusque, ut asserunt quidam, in jam dicta Ecclesia Ursiana, quæ est Anastasis, quam ipse construxit, ante Altare, subtus porphyreticum lapidem, ubi Pontifex stat, quando Missam canit. Quamobrem non post multum tempus ejus sanctitas claruit, & in Musivo Cameræ Tribunæ Beati Apollinaris nomen illius unà cum sua imagine *S. Ursus* descriptus est. Sedit annos XXVI. menses . . . dies . . . . .

G 2

OBSER-

(1) *Latifluam.* Mur.  
(2) *III. Kal. Januarii celebratur.* Bacch.  
(3) *quia.* Mur.  
(4) *Euferius.* Bacch.

(5) *Altarium.* Mur.  
(6) *positis.* Mur.  
(7) *Sarius.* Bacch.  
(8) *madico.* Bacch.